

Potentia autem, ut calefaciendi in pyrethro, ca-
storeo, pipere: refrigerandi in hyoscyamo, man-
dragora. His potentia hæ ~~dūdū~~ insunt, & nisi aliud
accedit, quicd facultatem in actum deducat, ca-
lefacere vel refrigerare non poterunt. Quæ huius
facultatis sit essentia, diuersæ sunt opinione, ut au-
tor est Galenus b. Alii enim censuerē huius facul-
tatis essentiam cognosci non posse, ut Sceptici phi-
losophi, & inter Medicos Empyrici existimauerūt.
Alii cognosci posse voluerunt, & horum aliqui ad
magnitudines & figuræ corpusculorum ac mes-
tuum, quos $\gamma\gamma\gamma\gamma\gamma\gamma$ appellant, referunt. Alii,
ut Galenus, ad caliditatem, frigiditatem, humiditi-
atem & siccitatem pro prima elementorum con-
stitutione regulere, ut etiam 3. temper. ostenditur.
Dixit ergo Galenus, esse causam quandam, quoniā
facultas non est vere causa, sed qualitas quædam,
cuius medio causæ agant, & cum actio omnis à
forma proficiscatur, ut dixit Aristoteles, necessarium
erit, ut causa, quæ per hanc facultatem agit, sit for-
ma quædam.

Forma ergo inquirenda, qua inuenta, quot sint
facultates, inueniemus. Corpora, quibus Medici
viuntur, vel vitam habueunt, (raro enim viuenti-
bus vtimur) vel vita caruerunt. Viuentia tres for-
mas habent: Animam, quæ forma est. Temperiem
ex quatuor qualitatibus; & totius compositi for-
mam, quæ forma substantialis vel tota substantia
dicitur. Anima proprias habet facultates, quibus
agit. At vegetativa Aristotelis, vel ut Galeno d, na-
turalis, habet attractricem, retentricem & expul-
tritem, quas Galenus alteratricis facultatis mini-
c 2. de ani-
ma 4.
d 3. temp. 4.
stras